

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA TERTIA HEBDOMADAE TERTIAE QVADRAGESIMAE, EPIstola, 4 Reg. 4.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

veritatem recipiat, ut magis etiā oppugnet, atque præcipitare conetur: quod malum eò est gravius, quò potiora sunt, & maiora præsidia, ac dona quæ reiciuntur. Hi etenim Nazarei ciues præter eā, quam ex scripturis habere potuerant, de Christo cognitionē, habebant familiarē ipsius conuictū & contuberniū, quæ si, ut oportebat, voluissent obseruare, intellexissent facili, lōge illam cæterorum hominum naturam, mores, ingenium superare, utpote in quo omnia diuinum quid potius, quàm humanum præ se ferrent. Sed hic peculiaris est inuidis genius, ut gratuitis Dei donis in perniciem sui potius, quàm salutem utantur. Quod & in nostri temporis hæreticis animaduertere licet, quibus semel est decretum veritatem agnitam oppugnare. Huc enim omnes suos conatus intendunt, ut Christum, id est, fidei veritatem, Ecclesiæ adimant, ac tandem præcipitent.

Genius inuidi.

Christi potentia & diuinitas.

4. Quartò, Christi potentiam & diuinitatem, qua potuit contra naturam corporis physici, sine vlla penetratione dimensionum, non tantum densissima quæque penetrare, verum etiam hostium furori, oculis, & conatui sese subducere, ipsosque illudere, ut sæpius captantes, nunquam caperent, nisi dum vellet ipse: quod efficacissimum erat diuinæ potentia argumentum. Mortalium etenim nullus est, ne Regū quidem, aut imperatorum, qui non frequenter inuitus & satis reluctans in hostium manus incidat, ac dedere sese cogatur. Si quis alius scripturæ locus, certè hic vnus debuerat crassos sacramentorum errores elidere, ac prorsus eneruare. Si enim potuit diuinitas corpus mortale adhuc, passibile, & qualitatibus corporeis obnoxium tale efficere, ut nec videri, nec palpari, aut vllō sensu corporeo percipi posset: quidni potuit virtute verbi sui corpori glorificato hoc præstare? Sed crassior est hic error, quàm ut refutari debeat: statim enim ut indicatur, se prodit.

FERIA TERTIA HEBDOMADAE
TERTIAE QUADRAGESIMAE, EPI-
stola, 4. Reg. 4.

Mulier autem quedam de vxoribus Prophete

earum clamabat ad Eliseum, dicens, *Servus tuus*
Vir meus mortuus est, &c. Finis Epistolæ:
Ut cum venerit ad nos, maneat ibi.

PROPONIT hæc historia tria.
I Primò, Miseram viduam omnibus mo-
dis deplorandam, scilicet, improbi credito-
ris seueritate oppressam, ære alieno grauata,
filiorum captiuitate afflictam, & sanctissimi mari-
ti morte consternatam: adeò vt ad huius mulieris cala-
mitatem augendam, nihil penè amplius addi posse vide-
retur. Proinde quum omni humano præsidio destitue-
retur, quòd huiusmodi miserabiles personæ, quales sunt
viduæ, peregrini, pupilli, & orphani, ferè soleant in iudi-
ciis aut contemni, aut negligi, vt cõqueritur Dominus,
Isa. 1. 10. Hier. 5. 7. Ezech. 22. Zach. 7. cum accedit, qui
sefe tanquam præclaro epitheto appellat, Psal. 67. patrè
orphanorum, & iudicem viduarum, Deum scilicet, cuius
fidelissimum ministrum Eliseum sibi contra aduersa-
rium patrocinarì perit. Officium enim est Episcoporum,
Pastorum, & Cõcionatorum, pauperum necessitati suc-
currere, vt de B. Paulino Episcopo Nolano, Ambrosio,
& aliis, testantur historix, qui sacra vasa pro redimen-
dis afflictis sæpe vendiderunt. At nunc, pròh dolor, plu-
res inuenias qui comedant potius quàm subleuent do-
mos viduarum, pauperum, & orphanorum: ita occupa-
uit multorum animos auri illa sacra fames, vt rarissimè
nunc aut Paulinos, aut Eliseos inuenias.

2. Secundò, Insignem Elisei mansuetudinem erga af-
flictam, suam operam quacunq; ratione posset offe-
rentis, dum ait. *Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi quid habes*
in domo tua? Ita enim oportet afflictas conscientias, vel
egestatem rerum temporalium fractas, vel cõsideratione
peccatorum consternatas, ne abundantiori tristitia absor-
beantur, 2. ad Corinth. 2. consolati, non vt conqueritur
apud Ezech. Dominus, cap. 34. cum austeritate & amari-
tudine in desperationem adigere. Gal. 6. Si præoccupatus
fuerit homo, &c. Obseruandum autem est Prophetæ
prudens & sagax consilium: siquidem non suadet frau-

*Vidua, pu-
pilli & or-
phani in iu-
diciis cõtem-
nuntur &
negliguntur.*

*Pater orpha-
norum et vi-
duarum Deus.*

*Mansuetu-
do.*

*Frāus credi-
tori non fa-
cienda.*

dem esse creditori faciendam. Iubet enim Deus omni-
bus debita reddere, Ro. 13. aut impuro quæstu redimen-
dam vexationem, vel malis actibus rem familiarem au-
gere. Siquidem hæc cum verbo Dei pugnat. Hoc enim
esset verè mulierculam oneratam peccatis in damnatio-
nem adducere: Quum potius hortatur ad industriam
œconomicam, curam rei familiaris, & ad operas lanæ,
ac telæ, nocte & die, vt, scilicet, non habeat tantum quo
creditoribus satisfiat, sed vnde tribuat necessitatem pa-
tientibus, ad Ephes. 4. dum iubet petere à vicinis vasa
vacua non pauca, in ea sedulo infundere oleum, quod
domi est, ipsos quoque filios, ne otiosi panem mandu-
cent, ad operas impellendas. Sic enim fore pollicetur,
vt conatibus tuis faueant superi, vt labores manuum
tuarum manduces, si vocationi tuæ obtemperes. Si præ-
cepto Dei obsequaris, & regnum Dei primum quæras,

*Regnū Dei
primò qua-
rendū ē o-
ius iustitia.*

& eius iustitiam, tunc omnia facile adiciuntur: quem-
admodum huic mulieri, dum ex fide credit Prophetæ,
munificam Dei in se beneuolentiam experitur, vt non
adfit tantum quo creditoribus satisfiat, & filij rediman-
tur, verum etiam vnde suppetat, quod naturæ sufficiat,

*Fides & o-
bediētia ex
ga verbum
Dei.*

3 Tertiò, Promptam mulieris erga verbum Dei fidē,
& obedientiam. Non enim ex consideratione pauper-
tatis & inopiæ, quam coram oculis cernebat, ruit in dif-
fidentiam, vt vulgus hominum solet, non alia, quam
quæ ante pedes sunt, aspicere, ex illis secundum iudiciū
rationis, argumentari, & quasi nulla foret de rebus hu-
manis cura, sollicitudo, vel prouidentia Dei, ita prorsus
omnia ex sua industria metitur, & siquid præter spem
sibi accidere sentiat, ibi mox sese prodit, quæ animo la-
tebat diffidentia neglectus diuini, contemptus vocatio-
nis, qua ad operas quisque suas ex præcepto Dei tene-
tur. Quò fit, vt fraudibus, dolo & technis, animos adij-
ciat, quod plures cernat his artibus emergere, diuites
fieri, possessiones augere, dignitatibus potiri, voluptati-
bus diffuere. Beatum etenim iudicat populum cui hæc
sunt, Psalm. 143. Atqui aliud longè dicitur fides, scili-
cet, respicere in bonam Dei Patris voluntatem, in De-
um spem omnem, & fiduciam reponere, & gnauiter
obtemperare vocationi. Sic nostra hæc vidua, dum ex

fide, Prophetæ verbis paret, Dei fit digna miraculo, qui operibus manuum eius benedicit, vt omnia etiam mutuo accepta vasa impleantur. Potens enim est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, vltra quàm petimus aut intelligimus, 2. Corinth. 9. Si tamen, vt oportet, in ipso fiduciam collochemus, credamus ipsi curam esse de nobis 1. Pet. 5. Atque in sudore vultus vescamur pane, Genes. 3.

Si quem allegoria delectet, nō ineptè hanc viduam, veterem synagogam intellexerit, quæ Saluatoris Christi aduentu, soluta lege prioris mariti legalis, debitis non solum peccati originalis, sed actualis adstricta diabolo, cui non erat, quo satisfaceret: (Si enim per legem iustitia esse potuisset, omnino gratis Christus mortuus esset, Galat. 2.) Olei tamen aliquid, quo vngeretur, supererat, sed clausum: quia sub velamine legis gratia Spiritus sancti latebat. At postquàm verus ille apparuit. *Christum vñ-
nus Eliseus.* Eliseus Christus, eius per Apostolos prædicatione factum est, vt gratia illa mutuatiis vasis, id est, nō Iudæis solū, sed gentibus perfunderetur: quo oleo nō solum redimuntur à creditore, id est, diaboli tyrannide, sed viuunt de reliquo: quia gratia Christi, & vnctione spiritus inhabitantis, & diffusi in corda ipsorum, eruuntur de potestate tenebrarum, & transferuntur in regnum Dei, dum per fidem & obedientiam, legi satisfaciunt.

FERIA TERTIA HEBDOMA-

DAE TERTIAE, EVANGELIUM,

Matthæi 18.

Luc. 17.

Luc. 19.

Ecc. 19.

Iacob. 5.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, &c. Finis Evangelij: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.



OMPLECTITVR hoc Evangelio Christus doctrinam omnium saluberrimam, & nostro seculo pernecessariam, quo ita abundauit iniquitas, vt planè refrixerit charitas, quæ est vinculum perfectionis, quam vult Christus

esse fraternæ correctionis amissim. Agit autem potissimum quatuor.

*Correctio
fraternæ.*

1 Primò, Dum ait, *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. Non præscribit actum iuris vel ciuilis, vel Ecclesiastici: sed correctionis fraternæ, quam vult non secus ac iudicum ab omni affectione mala esse liberum: siquidem omnis corruptus iudex malè examinat verum: fieri autem debet animo libero ab omni vindictæ cupiditate, ira, odio, & inuidia. Si enim iudicem profanum his velint esse liberum leges, quòd hi pessimi Consules peruersam subinde dictare sententiam soleant: certè eū qui proximi salutem amissam restituere parat, decet quàm liberrimum ab huiusmodi affectionibus esse. Sed oportet amore, & commiseratione eum qui peccarit, corri-

*Peccator publicus coram
omnibus arguendus.*

gere: eumque qui peccarit, apertè vult Apostolus coram omnibus corrigi, vt cæteri timorem habeant, 1. ad Tim. 5. Eum verò qui peccarit clanculum, vult Christus inter te & ipsum solùm corripi: sed ita, vt vtrique lex charitatis seruetur: nā quæ pro charitate sunt instituta, nō debent eidè repugnare. Ea ergo si vel in iudice, vel in privato prodierit de corde puro, conscientia bona, & de fide non ficta, proximi tantum spectabit salutem, & pœnitentiam, non confusionem, ignominiam, nec perditionem, *Idèò si te audierit*, inquit, *lucratus es fratrem tuum*. Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo, &c.

*Impudentia
hominum.*

2 Secundò, Quia præuidebat Christus fore tantam hominum impudentiam, vt non solùm peccare non vererentur, sed etiam perfrieta fronte auderent criminum esse defensores: ne sic tamen desperandum monet: *Sed adhibe*, inquit, *tecum vel unū, vel duos, vel scilicet, in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*, iuxta legis decretum, Deuter. 19. Neque verò putabimus omnes passim sine delectu esse admittendos, sed qui sint eodem charitatis affectu imbuti, ab inuidia alieni, arcani continentes, & salutis fraternæ æquè ac tuipe, amâtes, ne scilicet, leuiū hominum garrulitas peccatis famam lædat. Spectari enim vult Christus tantum hoc factò emendam peccantis, non perniciem. Proinde ea vitanda, quibus promoueri posset potius, quàm impediri hoc malum. Sed quid si duræ ad eò ceruicis sit, vt ne sic quidem à peccato de-

Emenda peccati spectanda in correctione fraterna.

fiat: Num deferendus, vel desperandus erit frater, pro quo Christus mortuus est? Num, ut diaboli mancipium, inferni pabulum & mundi proletarium relinquetur? absit. Charitas enim, ex qua hic prodit affectus, patiens est, benigna est, omnia sperat, omnia sustinet, 1 Cor. 13. Quare non ante desistit, quam nullam superesse spem vider. Hic igitur monet, ut si lenibus hisce non proficias medicamentis, cauterion aut incisionem adhibeas. Est enim ut morborum, ita & ingeniorum varietas. *Quid si non audierit, inquit, dic Ecclesiae.*

3 Tertiò, Ne quisquam putaret omnem vitæ licentiam cuilibet esse permissam, ac nulla iam superesse mali extirpandi remedia, quando priuata, aut coram testibus acta correptione nihil profecisses. Iudiciarium in Ecclesia sua Christus instituit tribunal, ut vel sic humana coëccetur audacia, ut tuta sit inter improbos innocentia: non enim confusam & seditiosam Rempublicam instruit suam Ecclesiam Christus in summa & regia quotidianarum seditionum: sed non secus atque in profano regno, aut imperio, vnũ esse voluit ex diuina sua ordinatione, penes quem summa rei esset: ita in Ecclesia iudiciariam potestatem esse iussit, cuius esset nascentia indies scandala opprimere, sed aliis artibus, quam regna politica, quæ vtuntur fascibus, armis, torturis, exilio, & capitalibus sententiis. Iis enim sublatis, quid forent regna, nisi publica latrocinia? Nihil enim æquè Rempublicam cõtinet, atque disciplina seueritas. Sed Christus Ecclesiam suam leni disciplina & iugo dulcissimo regi voluit, scilicet, Euangelio, fide, & sacramentis, quibus, veluti suauissimis pharmacis, infirmitati fidelium occurrere voluit. Verum si exulcerata membra iis offenderentur potius quam iuuarentur, non eam protus aut imbecilem vel inermem reliquit, ne possit resistere occurrẽti malo: addidit enim fulmen illud quouis exilio, tridẽte, equuleo, & igne ferocius, quod corporibus illæsis, animam tamẽ acerbo vulnere fauciat, ac bonorum omnium cõmunionem priuat, nempe, excõmunicationem, qua vult eum qui Ecclesiam non audiuit haberi vt Ethnicum, & à corpore Ecclesie abscissionem, qua vult eum haberi vt publicanum, quo nescio siquid magis sit formidandũ homini

*Iudiciarium
Ecclesie suae
Christus instituit
tribunal.*

*Disciplina
seueritas Rẽ
pũ cõtinet.*

*Excõmuni-
catio.*

Christiano. huiusmodi enim separatus est à corpore Christi: quare nec membrum illius manere potest. Si non maneat membrum Christi, non vegetatur spiritu Christi. Quisquis verò spiritum Christi non habet, hic non est Christi. Traditur enim Satana; quia extra Ecclesiam Satanas est, sicut in Ecclesia Christus. Ergo ut hominis viui membrum si præcidatur ab eius corpore, non potest tenere spiritum vitæ: sic homo qui præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest tenere spiritum iustitiæ, etiam si figuram membri teneat, quam sumpsit in corpore. Augustinus ad Vincentium.

*Ecclesiasti-
ca excommu-
nicatio non in-
iura, neque
contumacia.*

*Legitimus
excommuni-
cationis ef-
fectus quando.*

*Excommu-
nicationis ef-
fectus.*

4. Quartò, Ad maiorem confirmationem veritatis iuramento confirmat, non esse irritam, aut inanem huiusmodi sententiam, quæ in Ecclesiæ contemptores pronuntiaretur. Pollicetur enim eam & in cælis ratam fore, dicens, *Quicquid ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis*. Hic enim est legitimus clauis usus à Christo concessarum Ecclesiæ ministris, qui dum legitime, & pro ratione officij vtuntur, vel ligando peccantes deliberala malitia, ac animo pertinaci, vel soluendo peccitantes, dignos, scilicet. Sequitur tunc ex diuina ordinatione vel vindicta, vt in exordio nascentis Ecclesiæ sequebatur exagitatio mali Dæmonis in interitum carnis, 1. Corinth. 5. vel gratia, quam in animis experiebantur hi, qui vnitati fidelium restituebantur: vt in adultero Corinthio videre licet, 2. Corinth. 2. Porro licet apertos, & externos excommunicationis effectus, quales Apostolorum temporibus statim subsequerentur latam sententiam, Deus Ecclesiæ subtraxerit, nequaquam tamen existimabimus, minoris eam iam esse momenti, quàm tunc fuerit. Eadem enim est potestas, etsi non eadem ministrorum sanctimonia. Non enim est homo qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, quæ iam non minus vim suam in animam rebellem hominis exerit, quàm olim, dum in corpora quoque sequebatur. Verùm hic admonitos velim Ecclesiæ Christi ministros, ne passim leuissimis, scilicet, de causis terribili hac abutatur potestate, quam in ædificationem, non autem in destructionem acceperunt: sed tum demum, quum non videretur alia superesse corrigendi fratris medela. Vi-

de Paulum, 1. Corinth. 5. 2. ad Theſſal. 3. Aug. ſer. 10. de
verbiſ Domini, lib. de fide & operibus, cap. 3.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE

TERTIAE QVADRAG. EPIST. EXO. 20.

Honora patrem tuum & matrem tuam, Vt Math. 15.
ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus, &c. Ephes. 6,
Finis Epistolæ: oues veſtras, et boues in omni
loco, in quo memoria fuerit nominis mei.



CONTINET hæc Epistola tria.

1. Primò, Præceptorum ſecundæ tabulæ enu-
merationem, videlicet, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, ut ſis longæuus ſuper terram. Non oc-
cides. Nō mœchaberis. Non furſū facies. Nō loqueris cōtra proxi-
mū falſum testimonium. Non concupiſces domum proximi tui, nec
deſiderabis uxorem illius, non ſeruum, &c. Quibus præceptis
optima inſtituitur à Deo politiæ forma: ergo & propter
Deū obedientia iſtis debetur, Ro. 13. Sunt autem hæc
præcepta, fontes omnium legum politicarum. Nā pri-
mò ſancitur imperium, & præcipitur obedientia, tã ex-
terna, quàm interna erga parentes, magiſtratus, ſuperio-
reſque: Hoc verò de diligendis parentibus præceptum
etſi naturæ ſit, tamen ex authoritate diuina ita obligat,
vt nulla religio, quântūvis ſacra, præiudicare illi queat.
Sicuti nec votū, nec profeſſio. Collocat autē ſcriptura
hūc honorem parentibus debitum, Math. 15. Pro. 23.
Eccleſiaſt. 3. Ephes. 6. in timore, reuerentia, ſubventione-
que: quæ qui neglexerit, vt eis, ſcilicet, vel maledicat,
contemnat, egeſtate perire ſinat, maledictioni Dei ſuc-
cumbit legibus humanis occidendus. Patet locus dicēdi
de mutuo parentum erga liberos, & liberorum erga pa-
rētes officio. Secundò, Munitur pax, prohibetur contu-
macia erga gubernatores, vt ſunt iniuſtæ cædes, iniu-
ſta bella, odia, inuidiæ. Tertiò, Muniuntur coniu-
gia, ne vagæ graſſentur libidines, inordinatæ flammæ
furorē amātium. Quartò, Muniuntur dominia rerum, Domini-
a ne maniſeſta & certā furta admittātur, ne ipſoſturæ ne-
gociationū, uſuræ, &c. mendaciā paſtorū, contra-
ctū. Porro hoc ſecundū præceptū ſecundæ tabulæ, vt &

Mutuo offi-
ciū patrum
et filiorum.
Pax.
Coniugia.
Dominia
rerum.